

1740. MENSE DECEMBRI. VARASDINI.

Articuli Generalis SS. et OO., A. 1740. 1. et sequentibus Mensis Decembris diebus, Varasдини, celebratae Congregationis.

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae, in Generali eorundem pro die 1. et sequentibus Mensis Decembris 1740., ex Edicto, et sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis, Domini Josephi Eszterhazy de Galantha, praefatorum Regnorum Bani (P. T.) Varasдини Celebrata Congregatione, conformitate publicae determinationis cum praeliminaribus suis rubricis conclusi.

(Caeteris exmissis).

Articulus Secundus.

Post maestissimum Sacratissimi Principis Domini Domini Caroli VI. Romanorum Imperatoris, Germaniae, Hungariae, Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Regis obitum, Sacrae Reginali Majestati Mariae Theresiae altissimae titulatae, Suae Caesareo-Regiae Majestatis Filiae primogenitae, et Praefatorum Regnorum Reginae, homagialis devotio simul et subiectio, cum ulteriori augustissimi faeminei Sexus Austriaci Sangvinis in Regnis istis successionis confirmatione offertur.

Post perlectas in publico Sacrae Regiae Majestatis Mariae Theresiae, Dei gratia Reginae Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae, Archiducis Austriae etc. nuptae Ducis Lotharingiae, ac Bari, magnae Ducis Hetruariae, benignissimas, ad Inclytos Dominos Status et Ordines, sub dato Vienna Austriae die 22. praeteriti Mensis Octobris exaratas, accerbissimi sane moeroris et luctus Indices, Intimatorias Litteras, posteaquam ex iisdem, Sacratissimum Principem ac Dominum Dominum Carolum Sextum Romanorum Imperatorem, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Regem, Archiducem Austriae, Dominum Dominum et Regem Suum Clementissimum, et immortali sane desiderio dignissimum, divino placito, Regum potestatumque vices dispensante, praematura, et non tantum Regno huic, verum Universo etiam Orbi Christiano deploranda metamorphosi ex hac rerum humanarum perturbatione ad letissimam beatorum Spirituum aeternae faelicitatis consuetudinem, 20 praeinsinuati Mensis Octobris, evocatum esse, summa animorum suorum aegritudine Domini Status et Ordines intellexissent; semetque ad avitum, et Augustissimae Domui Austriacae hactenus semper incontaminate servatum, Suae altissimae titulatae Sacrae Reginali Majestati ultro praestandum fidei et fidelitatis obsequium hortari et invitari, seseque in immunitatibus per mox titulata Sacrae Regiam Majestatem illibate et inviolabiliter conservandos fore accepissent: Antelati Domini Status et Ordines, non tantum Articulorum Diaetalium 1. et 2. Anni 1723. memores, verum etiam felicissimam gloriosissimamque Augustissimae Domus Austriacae Gubernii, atque pientissimam in deffensione et conservatione sui Regnique istius Regiam invigi-